

*Ad Atticum 13,52*

CICERO ATTICO. S.

1. O hospitem mihi tam gravem ἀμεταμέλητον! fuit enim periucunde. sed cum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa a militibus est, ut vix triclinium, ubi cenaturus ipse Caesar esset, vacaret; quippe hominum duo millia. sane sum commotus, quid futurum esset postridie; at mihi Barba Cassius subvenit: custodes dedit. castra in agro, villa defensa est. ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII, nec quemquam admisit: rationes, opinor, cum Balbo. inde ambulavit in litore. post horam VIII in balneum; tum audivit de Mamurra, vultum non mutavit. unctus est, accubuit. ἐμετικὴν agebat; itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde, opipare sane et apparate, nec id solum, sed

,bene cocto et

condito, sermone bono et, si quaeris, libenter.<sup>1</sup>

2. praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copiose. libertis minus lautis servisque nihil defuit. nam lautiores eleganter accepti. quid multa? homines visi sumus. hospes tamen non is, cui diceret: ‚amabo te, eodem ad me, cum revertere.‘ semel satis est. σπουδαῖον οὐδὲν in sermone, φιλόλογα multa. quid quaeris? delectatus est et libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hospitium sive ἐπισταθμείαν odiosam mihi, dixi, non molestam. ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae villam cum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum nec usquam alibi. hoc ex Nicia.

---

1 Lucilius 1122–3 Marx.